



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 26. Expeditio ad Tucutienses in Guairania.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

& Itapuani, quod pro Evangelio vitam suam obtulissent, apud omnes fortitudinis Christianæ gloriam adepti sunt, præsergit Arapizanduvius, qui hoc facinore præteriti anni inconstantiam abunde oblitteravit. Heus expeditionis fructus fuit qui sperabatur, nimirum terræ & animorum exploratio, ex qua cognitum, plerosque adversi Paranæ accolas, Evangelio adhuc immaturos, paulatim beneficiis deviciendos esse, antequam ad oppida reduci possent. Vix redux Rochus Gonsalvius, ut est audax & irrequia caritas, cuin paucis comitibus secundo Paranâ ad Ethnorum pagos sibi delatus, effecit ut multi Ethnici Jaguapuam, Religionis capessendæ & incolendi ergo, se conferrent. Hispanos intempestivè arma Paranensibus ostentantes autoritate compescuit. Ferdinandum Ariam Prætorem affinitatis jure monuit, ne vellet bello irritare, quos una Crux Christo sine languine aliquando debellatura erat. Ararepam & Tabacambium spe fundandorum oppidorum (uti in eorum terris factum est) aluit. Marcellum Lorençanam, Paranam pro Provinciali insipientem, ostensâ vicinarum Provinciarum Christo subjugandarum spe, exultantem exceptit. Claudium Ruierium Burgundum, alteram Paranaensis Provinciæ columnam futurum, Didaco Boroæ Batbaticâ lingua informandum tradidit. Sed continuus & præcipius labor ejus fuit in stabiliendo Itapuano & Jaguapuano oppidis, ut ex his quasi præsidiis bellum dæmoni latissimè inferret.

**I**N Guairaniâ notabilis etiam fuit Josephi Cataldini ad Tucutientes Barbaros expeditio. Hi ab actionis metu, patriis fontibus desertis, novos pagos in abditissimis locis construxerant, cò adiri difficultibus, quod contra prædones omnes sylvorum aditus meticuloius obseperant. Nec inanis erat eorum metus: nam Indorum abactores de iis ad servitiam abigendis agitabant, quos ut præverteret Cataldinus, morte suo præmissis Neophytorum fidelissimis, animos Tucutensium exploraturis, non dubitavit cò per intactas sylvas cum pauculis Indis penetrare. Quindecim diebus cum vepretis cluckatus, in gentis excubitorem incidit, quo sibi conciliato, ad pagum ducentis Barbarorum familiis constantem pervenit: quos ob novitatem hospicium tumultuantes adeò appositâ oratione repressit, ut nisi obstaret Casiquii absentis, ex quo omnis vicinitas pendebat, authoritas, se illicò Patti traderent. Quâre intellectâ, Cataldinus tricubitalem Crucem, pro scipione ab nostris operariis gestari solitam, misit, rogans ut accepto eo benevolentiae pignore ad se venire ne gravaretur. Venit Casiquius, cuius autoritate allecti, frendente licet præstigatore, nongenti Barbari Cataldino se adjunxere. Nec difficile futurum erat cò loci multitudinem tantam cogere, quanta sufficeret ad justum oppidum conflandum, si Sacerdotum copia sufficeret. Verum, considerato præsentium rerum statu, satis habuit si nongenta ea capita in tutum recuperet. Sed dæmon tanto vulnere exacerbatus, ejus necem veteratori suadet, qui corruptâ jam multitudine indubie scelus patrastet, nî eventilita perfidia ad Caraldini aures pervenisster, dedissetque locum Barbarorum animos sibi reconciliandi: qui ne iterum dæmonis artibus per præstigatores corrumperentur, transmigrationem acceleravit. In diffilimmo itinere dum versarentur, numeroſa prædonum Brasiliensium turba Guairaniâ infestabat, à quibus ne quid Tucutientes paterentur, Tygris insiliens prædonum ducis calvam pelle nudavit, reliquis latronibus ad fugam eo tempore coactis, quo Cataldinus novellam Tucutensium turbam in oppidum inducebat: Deo scilicet pro Christianæ Legis candidatis ferarum rabiem in hostes animante.

ranæ pars  
sepe per-  
curritur.

Rochus Gon-  
salvius Eth-  
nicos redu-  
cit.

Claudiu-  
Ruierius ad-  
ventus.

**CAPUT**  
**XXVI.**  
Expeditio  
ad Tucu-  
tientes in  
Guairaniâ

Crucis offi-  
cacia.

Gentis Cas-  
quius con-  
ciliatur.

Nongenti  
Barbari Ca-  
talдino ad-  
harent.

Veterator in-  
terterbat.

Tucutientes  
feliciter re-  
ducuntur.

Prædonum  
dux caſiga-  
tur.